DISSERTATIO MEDICA VII.

DE

VITIIS MACHINÆ HUMANÆ

TOTUM CORPUS PRÆCIPUE AFFLIGENTIBUS.

QUAM

PERMITTENTE GRATIOSA FACULTATE MEDICA,

PRÆSIDE

DANIELE HOFFMANNO,

MED. DOCT. & PROF. PUBL. ORD.

A. N. C. COLL.

PRO LICENTIA

SUPREMOS IN MEDICINA HONORES CONSEQUENDI
SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTIT

JOHANNES MATTHÆUS BRIGELIUS,

HERBRECHTINGENSIS.

AD DIEM FEBR.

TUBINGÆ,

TYPIS ANTONII HENRICI ROEBELII,

1745.

SERENISSIMI WIRTEMBERGIÆ DUCIS

SENATUI ECCLESIASTICO

PERINCLUTO,

REVERENDA, MAXIME, DIGNITATE, MAGNIFICA AUTHORITATE, MUNERUM AMPLITUDINE, LABORE AD ECCLESIÆ GUBERNACULUM EXANTLATO SPLENDIDISSIMO,

PATRIÆ PATRIBUS VIGILANTISSIMIS,

VIRO

ILLUSTRI perquam GENEROSO

DOMINO

CHRIST. HENR. KORNIO,

SERENISSIMI WIRTEMB. DUCIS CONSILIARIO INTIMO, SENATUSque ECCLESIASTICI DIRECTORI MERENTISSIMO,

ut &

VIRO

EXCELLENTISSIMO atque CONSULTISSIMO

DOMINO

FRID. GUIL. FROMANNO,

JURIS-CONSULTO LONGE DOCTISSIMO, SERENISSIMO WIRTEMBERGIÆ DUCI a CONSILIIS, JUSTITIÆ & CONSISTORII SENATUSque ECCLESIASTICI FISCALI DEXTERRIMO,

CETERISque DOMINIS ASSESSORIBUS,

PRÆNOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, DIGNISSIMIS atque GRAVISSIMIS DOMINIS SUIS PATRONIS, MOECENATIBUS MAGNIS, PROMOTORIBUS ſuorum ſtudiorum OPTIMIS,

omni obſequii & ſubmiſſionis cultu ævum proſequendis

DISSERTATIONEM HANC
MEDICAM
OB MULTA PER PLURES ANNOS IN SE COLLATA BENEFICIA
CUM VOTO OMNIGENÆ FELICITATIS SALUTISQUE
TEMPORALIS ac ÆTERNÆ
INSIMUL IPSORUM OMNIUM FAVORI PATROCINIO &
ULTERIORI EORUM BENIGNÆ PROMOTIONI
& PROTECTIONI
STUDIA SUA QUALIACUNQUE COMMENDATURUS
OFFERT
TANTORUM VIRORUM

devotissimus obsequiosissimusque
Cliens
JOHANNES MATTHÆUS BRIGELIUS,
MED. LICENT.



Q. D. B. V.

Selegimus pro themate Diſſertationis Medicæ Inauguralis has poſthumas ſchedas B.Soceri Dni Præſidis, Eliæ Camerarii, Med. D. ac Prof. Med. olim inter nos Celeberrimi ac optime de re medica meriti, tanquam partem Compendii Pathologico-Practici, quod Vir B. in ſex Diſſertationibus Inauguralibus, ſub tit. de Machinæ Humanæ vitiis, eorumque cauſis dignoſcendis atque emendandis edidit, in quibus pleroſque tam Capitis quam Thoracis & Abdominis affectus breviter quidem, ſolide tamen, pertractavit; Reſtant itaque morbi, totum corpus præcipue affligentes, quorum partem primam, de *febribus* ſcilicet & *affectibus arthriticis*, hiſce paginis, diſcentium commodo, publicæ luci damus, alteram alii occaſioni reſervantes, eamque, invocato Supremi Numinis auxilio, publico examini ſiſtimus.

DE MORBIS, QUI TOTUM CORPUS PRÆCIPUE AFFLIGUNT.

Hos inter morbos primas deferre febribus atque affectibus arthriticis æquum eſt, de quibus quidem præſtaret tacere, quam pauca dicere, horum enim tam ingens varietas tantoque amplitudo eſt, ut brevi ſermone iſta omnia conſtringi difficulter poſſint: Cum tamen inſtituti noſtri ratio prolixi-

tatem

tatem non admittat, dabimus operam, ut doctrinæ illius eam formemus ideam, ut conceptu ſaltim perſpicuo diſcentibus imprimi, eorumque animis offerri queant ea omnia, ad quæ principalius referri omnes, quæ in his morbis obſervantur anomaliæ proteiformes ac varietates fere innumeræ haud incommodè queant.

*** *** ***

Generalior febrium diſtinctio eſt in *continuas* & *intermittentes*, illis uno quaſi filo per ſua incrementa ad ἀκμὴν, indeque vel ad mortem vel ad ſalutem tendentibus, his vero magna primum vehementia adorientibus ægrum, ſed non eadem pergentibus vehementia ſymptomatibus, ſed poſtquam ſua tempora, ſpecialiter quaſi aſſignata, percurrere, à ſtatu ad declinationem brevi progrediuntur, variis quidem durationibus paroxyſmi illius, quippe nunc ſex, nunc octo, decem, duodecim imo ſedecim ac plurium quandoque horarum decurſu terminandi, ſuperveniente plerumque ſudore, ac ſymptomatibus adeo remittentibus, ut ſanus jam rurſus videatur æger, donec poſt inducias illas certi temporis novus ingruit paroxyſmus, nova exacerbatio, priorumque recrudeſcentia ſymptomatum, & illud quidem intervallum, illùdque excipiens febrilis acceſſûs determinatum tempus morbi demum typum oſtendit, an ſcilicet *quotidiana*, quovis die redeunte febri, an facto diebus alternis reditu deſignet *tertianam*, omnium reliquarum frequentiſſimam, quamque veri aſſignant (cum tamen nulla hic anni pars excipiatur, malo cumprimis, ut plerumque ſolet, epidemio exiſtente) ſeu integro biduo à febri liber maneat æger, quarta demum rurſus die corripiendus paroxyſmo novo in *quartana*, attributa autumno & hyemi, cum frequentior illis temporibus credatur occurrere.

Iſta autem paroxyſmorum intervalla aliquando ſunt exactiſſima, adeo, ut vix horologium exactius queat oſtendere atque indicare horam, quam ea accuratiſſime determinatur reditu febrilis paroxyſmi, plerumque tamen & frequentius latitudinem aliquam habent, typi allegati, dum aliquando anticipant, una, duabus, tribus, imò pluribus horis, ita quidem, ut cum diurno primum tempore oriretur, paroxyſmus, ille dein anticipando ſenſim in profunda noctis tempora immergatur,

ſicque,

ſicque,ut loquamur ita, ſuffocetur,atque evaneſcat haud raro inter ipſa ſomni halcyonia deflagrantibus mitioribus iam paroxyſmis; aliquando verò etiam poſtponunt, ac tardius accedunt erumpuntque poſteriores paroxyſmi, quos non ſemel pertinaciores obſervavimus, quam anticipantes.

Quodverò monetur à Practicis, quartanam poſt meridiem fere ſolum,mane magis quotidianam, tertianam quovis etiam tempore redire,id perpetuæ obſervationis adeò non eſt,ut potius omnes quovis diei tempore paroxyſmorum facere exordium poſſint, pendeantque in eo à primo inſultu, in quem ille inciderit terminum, eundem, cæteris paribus, rediens paroxyſmus non poterit non obſervare.

Ipſi etiam paroxyſmorum gradus diverſiſſimi ſunt quà vehementiam & ſymptomatum gravitatem, levioremque ac graviorem moleſtiam inde illatam, quo ſenſu in tertiana dicunt paroxyſmum quartum conſiderandum eſſe tanquam morbi ſtatum quendam ac ἀκμὴν, ac proin reliquorum omnium & antecedentium & ſubſequentium eſſe moleſtiſſimum graviſſimumque; quæ quidem cum obſervationibus haud adeo conveniunt, cum priores potius paroxyſmi obſerventur violentiores in epidemicis tertianis, neque rigorem peculiarem exerceat quartus,niſi forſan id de exquiſita tertiana, quæ ſeptem circuitibus terminatur, in caſibus quibusdam dici queat, etſi nec eo ſenſu per omnia, rem ita ſe habere, facile deprehendet ſedulus atque accuratiori mentis acie pollens obſervator.

Præterea obſervantur quoque *tertianæ* & *quartanæ duplicatæ*, quanquam illæ frequentiores ſint, & ſæpe, imò plerumque habeantur pro quotidianis; diſtinguunt autem nonnulli ſollicite tertianam duplicem à tertianis duabus, etſi forſan nimia hac non opus ſit ſubtilitate; niſi forſan ejus fundamentum quæras & in temporibus diverſis paroxyſmorum & in gradibus ac vehementia non iisdem, cum primæ diei paroxyſmus & qua tempus acceſſionis & qua ſymptomatum vehementiam ac durationem conveniat cum paroxyſmo diei tertiæ, quartus autem paroxyſmus reſpondeat diei ſecundæ paroxyſmo & tempore & duratione ac gradu; in aliis verò iſta habitudine ac reſpectu paroxyſmorum non æque obſervato.

Diſtinctio inter *exquiſitas ſpuriasque* febres intermittentes magna ſecum non fert commoda, cum utrinque eadem obſervetur & morbi vis & remediorum efficacia, ita ut, his rite adhibitis, ne opus quidem illa diſtinctione ſit, nec illa poſſit agnoſci,cum paucis acceſſibus ſi rite tractatæ fuerint, terminentur.

Legimus quoque annotatum, rarius quotidianam febrim primario ac per ſe adoriri ægrum,ſæpius vero ſequi demum atque oriri à tertiana vel quartana; ubi tamen advertendum, quotidianas proprie ſic dictas non frequenter occurrere,& plurimum differre à tertianis duabus, etſi hæ duæ febres plerumque confundantur; deſcribitur enim quotidiana tanquam habens paroxyſmos diuturnos, ſedecim imo plurium horarum,cum tertianarum paroxyſmi regulariter multo ſint breviores; cum igitur graſſantibus epidemicè febribus iſtiusmodi tertianæ duplicis paroxyſmi eveniant longiores, quod frequentiſſimè cernimus contingere,facile habetur talis pro febre quotidiana,etſi revera talis in illo rigore ſcholaſtico non ſit, & hoc ſenſu vera erit illa regula, vel potius nitetur hac confuſione febrium, quæ anomalias,dum epidemicè graſſantur, ordinario habent numeroſiſſimas ac mire variantes, nomen quoque inde adeptæ *proteiformium.*

Cæterum febris initium ut plurimum eſt in frigoris ſenſu, quod dorſi in primis initiis occupat regionem,rigoribus ac horroribus per corpus varie diffuſis,ad dentium uſque ſtridores,vel potius celerrimam inferioris maxillæ ad ſuperiorem reciprocatione violenta partim, partim voluntaria,alliſionem; cui & jungitur, & præceſſit plerumque faciei pallor, cutis in papillulas pyramidales elevatio, quam anſerinam vernaculâ cutim dicimus, cœruleus unguium, ſanguine in vaſculis ſub ipſis diſperſis ſpiſſeſcente ac ſtaſin patiente,color,naſi, manuum pedumque imò omnium extremitatum frigus ad tactum manifeſtum, oſcitatione frequenti, ac pandiculationibus violentioribus præcedaneis, ingenti accedente laſſitudine, inæquali horum ſymptomatum, paroxyſmi primordia conſtituentium, duratione,dum quandoque etiam ad plures extendantur horas, & diverſiſſimis gradibus affligant; donec ſanguine jam melius ſubacto ſtatus ingruit contrarius, pulſu prius depreſſiore, jam elato, forti, vehementi, frequente, calore ſicco totum occupante corpus, fervente illo ad tactum,vomitu quandoque interveniente, Cephalalgia intenſa, dorſi doloribus,quin & artuum vagis, non in quartana ſolum, quod aliqui monent, ſed & in tertiana: Sitis urget extreme non in ſolo hoc caloris ſtatu, ſed maxime jam antea durante frigore, intolerabiliter affligens ægros,neque tamen commode ipſis congrueque exhibueris ante calorem emergentem potum copioſum; inquietudo, anxietasque graviter premit ægros, amarities oris, quandoque cardialgia, ructus, ſpaſmodicæ ſtricturæ paſſim, etiam dolorificæ obſervantur, terrores quoque ac ſuccuſſiones, imo &, calore intenſius ex-

exæſtuante, deliria in ſimplici intermittente licet obſervare; ſuperveniente ſudore ſolvitur acceſſus; In principio non ſemper tales intermittentes ſtatim agnoſcuntur, quia non ſemper eadem ratione & horror & frigus reliquaque ſymptomata erumpunt, unde & continuam aliquando mentiuntur, ſequentibus demum paroxyſmis tertianæ typo ac indole plenius prorumpente; interdum tamen etiam febris verè continua in ortu tranſit in tertianam in progreſſu; unde apud Authores enatum vocabulum tertianæ latentis; etſi verò ſine horrore ac frigore rara ſit tertiana, talis tamen quandoque obſervatur, etſi non facile in omnibus paroxyſmis.

Potiſſimum attendi quoque meretur *tertiana maligna*, quæ cum alternis diebus ſtatisque horis ſuas habeat exacerbationes interdum valdè notabiles, intervalla ideo non habet apyrexias, ſed continuæ in modum febris decurrens, lecto conſtanter feſſum calentemque affigit ægrum, neque is extra illum morari poteſt vel tantillum; manifeſto indicio, eſſe talem tertianam mali moris, ac continuæ in modum tractandam, ægrumque accuratius obſervandum.

Quis vero omnes febrium enarret ætiologias? Major ſaltem eorum numerus eſt, qui exiſtimant, fermentum quaſi quoddam, ſeu cruditatem & non ſatis digeſtum humorem extra ſanguinis maſſam formari & hærere, qui, quoties affundatur toti maſſæ, eam turbet; mixtionem ejus partium labefactet, turbas tam varias hac ratione excitet, donec ſub ipſo circulo, quaſſationibus ac percolationibus frequentibus ſubigatur, viſciditas ejus divellatur, corrigaturque, totaque iterum maſſa ad æquabiliorem mixturam reducatur, poſt iſtos humorum pugnantium impetus prodeunte ac ſecedente per cutaneas glandulas ſero ac ſudorem formante ſalutarem criticumque reſpectu illius paroxyſmi jam hoc pacto finiendi.

Agnoſcendum igitur eſt, ſanguinem ejusque varias partes ſuccosque inde ſecernendos, partim & ſecretos, deſciſcere à ſtatu ſuo blando & æquabili, naturali, eſſe in inteſtinis ac ventriculo, in viſceribus paſſim cruda, impura, indigeſta, acria, corrupta ac varia inquinamenta, ex cibis male digeſtis partim enata, ſuamque labem diffundentia, tali ſcilicet chylo per vaſa lactea ad ſanguinis delato maſſam, eam turbante, ſeceſſum quaſi partium heterogenearum in illa procurante, eam inſpiſſante, ad circulationem ineptiorem reddente, fibris inde graviter per omnem corporis ambitum laceſſitis, nervis irritatis, ſpiritibus afflictis, unde tot oriuntur ſymptomata, donec

ſubacto

ſubacto degenere ſucco reſtitutoque liberiori motui ac meliori mixturæ ſanguine, cum, ſecedente ad cutis ſpiracula ſero, quædam iſtius immunditiei portio diffletur atque unà cum ſymptomatum remiſſione atque evaneſcentia ad tempus liberum à turbis relinquat ſanguinem, corpusque aliquali reſtitutum vigori deſerat tantiſper.

Non auſim tamen ſpecialiſſimè cauſarum qua ſpecies febrium differentias ſingulares cum aliis determinare, cum adeò multa hic adhuc obſcura incertaque ſint, ipſaque periodorum ratio vera ac ſolida profundè adhuc lateat; cum ergo dicatur non ſine ſpecie, in lympha, acido ac bile radicem eſſe harum febrium diverſarum, ita quidem, ut ſi lympha præpolleat, acidumque & bilem ſatis diluat, provehatque, oriatur quotidiana; prævalente acri bile ac fervida, enaſci tertianam; fixiore autem acido prædominante quartanam exſurgere; iſta quidem omnia cum grano ſalis accipi poſſunt ac debent, cum ſane lympha, acidum ac bilis ſeorſim in quibusvis iſtarum febrium caſibus ſpecialibus poſſint prævalere, neutrâ tamen uni humori præ alio cum fundamento adſcribenda.

Nulla autem à febrium inſultu ætas, ſexus nullus, corporisve habitus excipitur; duratione quomodo differant omnibus notum eſt, breviorem agnoſcentibus quibusvis tertianam, diuturniorem vero ac pertinacem quartanam, etſi & hæc rite tractata ſæpe eadem facilitate tollatur, ut adeò non ſemper adeò tædioſa ac chronica, cum periculo ſanitatis, ob depravatos ſub tanta mora humores, evadat. Hac enim ſola mora ac diuturnitate turbarum, toties recurrentium, periculoſæ fiunt intermittentes, ſanguine tandem admodum depravato & in cachexiam, tumorumque œdematoſorum collectionem ruente; ſive eodem tramite decurrant tales febres, ſive una tranſeat in alteram variis viciſſitudinibus atque immutationibus; maxime tamen moleſtæ ſunt recidivæ, vîx evitandæ, variantes tamen pro ratione febrium ſpeciali, cum iis epidemicè graſſantibus frequentiores ſint, & crebriores, quam cum ſporadicè affligunt, imò & in certis mali epidemici ſpeciebus ſæpius faciliusque recurriſſe febres obſervant ii, qui attentius eam rem ac diutius penſitant.

Diætæ inordinatæ innumeri errores febribus anſam originemque ſuam præbent, quò referuntur viſcidi, crudi, dyſpepti, nauſeam inferentes, naturæ adverſi, acidi ac inſoliti cibi, impuriores, crudiores, fermenteſcentes, nimis calidi, acidi nimis, qui in potu aſſumuntur liquores,

quores, inæqualis temperies aeris, humida, frigida, inſtabilis, ſæpius mutata ac ſubito alterata, motuum animi fortiorum alternationes; præexiſtentes maxime ac collecti in receſſibus tum fluidarum tum ſolidarum partium corporis, pravi ſucci, cruditates, inquinamenta, hypochondriaci mali rudimenta, ſcorbuti ſtamina febribus quoque favent.

Diutius autem durante febre ſanguis vigore ſuo exuitur, vappeſcit, cacochymicus fit, pallore oris id cumprimis teſtante, tumoreque pedum de ejus viſcitudine quemvis convincente, cum aliis innumeris conſectariis noxiis vitæque inſidias lente ſtruentibus; Urina in tertiana cumprimis flammea eſt, multo magis ſæpe quam in continuis & malignis; ex Urina autem maxime decurſum morbi agnoſcimus, prout illa turbata ſedimentoque prædita eſt, vel clarior manet ac pellucidior; quorum tamen in tot febrium iſtarum differentiis magna varietas eſt.

Commendantur remedia aperientia, temperantia, etiam evacuantia (quæ materiam febrilem extricare dicuntur & imminuere atque corrigere, quod tamen rectius reliquis tribuetur remediis, cum non omnibus intermittentibus conveniant purgantia, nec in omnibus neceſſaria ſint, in pluribus febri jam curata infallibiliter reductura illam, ejusque procuratura recidivam) martialia, acidula, amaricantia, tonum roborantia, quæ & hepatica audiunt ac ſplenetica partim, præcipitantia, abſorbentia, terrea, oſtracoderma; ſalia fixa, alcalina, nitroſa, cinnabarina, viperina; Venæſectionem non omnes laudant, nec ea directe requiritur; de emeticis dicemus idem, quod de purgantibus; Corticem verò peruvianum, celebrem chinam chinæ alii laudant, aliii culpant, nihil hodie etiam inter Medicos eſt mediocre. Nobis ejus præſtantia multis exemplorum millibus innotuit; commendamus tamen in exhibendo prudentiam, moderationem, cum ſupra memoratis combinationem & prudentem per omnia applicationem.

Continuarum quoque *Febrium* ſuccinctam deſcriptionem expoſitioni Intermittentium par eſt ſubjungere. Continuarum vero eadem eſſe initia cum intermittentibus ordinario ſupponitur, cum phœnomena habeant communia, licet variis poſtea circumſtantiis & ipſa cumprimis continuitate decurſus ac durationis diſtinguantur quam maxime ac realiſſime; Præcedit enim & in his febribus alia ſymptomata, frigoris ſenſus, rigor, horrorque, quæ & horri-

pilationem vocant, sed ea est plerumque mitior ac brevior in continuis, quam in intermittentibus, succedit presso pede calor, modo manifestior, ardens, exæstuans, apertus, aliquando occultior, gliscens per insidias ac blandiendo latendoque mordens nocensque, aliquando etiam satis benignus & mitis, uti gradus istarum febrium continuarum fere innumeri diversissimam habent conjunctam intemperiem seu gradum caloris præternaturalis; pulsus celer est ac frequens, quandoque & decursu morbi redditus debilis & inæqualis, urina nunc flammea, nunc minus tincta, vel turbanda facile, vel clara manens, usque ad stata tempora pepasmi &c. Prosternitur appetitus, sitis intensa est, etsi mens laboret, nec sentiat sitim, nec ad eam valeat attendere, cum tamen urantur frigentibus externis interna, qui status sæpe est pessimus; in gradu vehementiori æstus est intensus, etsi non semper externe satis se prodens tactui, urget Cephalalgia plerumque vehementissime, pro statu ac tempore morbi sicca squalet cutis, vel subinde ac suo tempore madet sudore vel leni vel fortiori, lassitudo est insignis, ac virium enormis dejectio, si levioris gradus continuas excipiamus. Sunt enim revera continuæ vel benigniores ac leviores minus periculosæ, quanquam nec illæ contemnendæ, cum subdolæ esse & occultare venenum latens soleant, quo & *Ephemeræ* pertinent, & leviores continuæ non adeo prosternentes ægrotos, cum aliæ mox malum suum morem ac genium pravum testentur, subitanea virium dejectione, violenta ultra modum invasione, naturæ insigni prostratione, ita ut æger ne per exiguum quidem temporis spatium degere extra lectum ac sine deliquio subsistere possit, imò sæpe ne assidere quidem in lecto elevato capite, dorsoque non suffulto: Vigiliæ pro gravitate febris, spirituumque majori vel minori agitatione ac dissipatione magis minus ve urgent, lingua sicca est, scabra, aliis fusca, imò tumidior, rigidior, cute mucosa incrustata, fauces nonnunquam arefactæ, imò exacerbato malo fissuris, imò inflammationibus varii gradus occupatæ, præcordiorum anxietas frequenter jungitur, respiratione magis minusve læsa, prout pectus magis vel minus premitur à malignitate versus centrum ex circumferentia repulsa, ut de pleuritide, cui contiuua semper & plerumque maligna febris jungitur, nihil jam addam; tussicula ipsa faucium siccitate facile provocatur, cui addunt quidam expuitionem quandam sanguinis, quam & bonam dicunt agnoscuntque, quod facilè agnoverim, si a naribus descendat ille sanguis, vel ex faucium extillet vasculis fissis, ruptisque,

si

ſi verò cum tuſſi aſcenderit ex tracheâ & bronchiis mihi ſuſpectus noxiusque & mali profuturo ominis eſſe videtur; alvus plerumqus tardior, ſicciorque eſt, nonnunquam & diarrhæa, fatalis ſæpe, ſupervenit, non deſunt tamen etiam criticæ exempla, in certo epidemicarum & caſtrenſium febrium genere obſervatæ.

Pro gradu febris in progreſſu ejus deliria exurgunt, continua & interpolata, vigilantium, vel ſolum è ſomno evigilantium, ridicula circa omnia objecta, vel circa certa ſaltem, cum vel ſine furore, ad phrenitidem quandoque ipſam exaltata; terrores quoque, pavores, tendinum ſubſultus, corporis concuſſiones, motus convulſivi ac epileptici poſſunt ſupervenire; exanthemata quoque varia, *petechiæ* vel magis in principio vel in ſtatu demum morbi, triſti ſæpe necroſeos incipientis ſigno, erumpentes, exquiſitæ ac genuinæ vel ſpuriæ, majores minoresve, aliis ad *purpuræ* ſpecies amandandis, quam in *albam rubramque* diſtinguunt, ſub quibus titulis varia exanthemata comprehendi ſolent rubra, fuſca, ſubnigra, puſtulæ quaſi, aut aliæ elevationes non puſtuloſæ, duriuſculæ &c. plerumque cum malignitate, non tamen omnes nec ſemper; veræ & malignæ ac ſphaceloſæ quaſi petechiæ inter funeſta quoque peſtis ipſius ſymptomata ac ſigna interdum recenſentur, quæ tamen cum febrium caſtrenſium, hungaricarum petechiis proprie dictis non ſunt confundendæ; cum hæ regulariter tantum necroſeos gradum nondum indicent, ſed diſſipari iterum ſine noxa poſſint, robore naturæ partim, partim remediis commodis, teſte experientia; pertinent quoque huc bubones, anthraces carbunculi, parotides, in continuis peſtilentialibus apparentes, vario eventu, ſi tamen rite ad ſuppurationem tendant, frequenter ſalutari; uti & hæmorrhagiæ, ſudoresque varii ſunt ominis, pro virium ratione ac morbi indole & tempore, reliquisque circumſtantiis.

Cum de *Cauſis* ſermo eſt, plerique & hic ad fermentum quoddam confugiunt, quidam illud accerſunt ex primis viis, ventriculo ſcilicet ac inteſtinis, ſtabulantibusquc in his cruditatibus, alii in ſanguinea id genitum maſſa, vel in receſſibus viſceris alicujus ſupponunt, alii ſub miaſmatis, halitusque tenuiſſimi forma per contagium id hauriri cenſent, aliis quoque ad peregrinum confugientibus ætherem; omnesque illi fontes ſuo modo poſſunt habere locum, propinquius nonnulli, alii remotius; quis enim dubitet, poſſe in primis viis cauſæ tam pravæ ac ſubdolæ radices primas ac ſtamina poni, indeque transferri in ſanguinem, & quis neſcit, quam aptus ſit ſanguis

ad ſuſcipiendas impreſſiones quascunque noxias, vi ipſius ſuæ heterogeneitatis ac mixturæ, tot diverſis conſtante principiis, ſuo in ordine ac nexu haud difficulter turbandis, nec minns evidens eſt, externum illud excitans aut fermentum, quod ex alio exhalans ægrotante corpore ſuſcipitur ab humoribus aliorum, eosque in ſui motus cogendo leges parem ipſis confuſionem, paresque infert turbas, in apertiores mox erupturas ac pertinaciores flammas, ubi domeſtica ſanguinis inquinamenta commota excitataque ſimul ab ipſo fuerint. Peregrinum autem ætherem ejuſque in turbanda ſanguinis maſſa efficaciam haud ſatis capimus, cum fluidiſſimum iſtud tenuiſſimumque fluidum aere vicibus innumeris ſubtilius peregrinum eſſe noſtris quidem in humoribus haud queat, quippe quod per omnes omnium corporum poros ſine ullo fluat obſtaculo, nec ullam in ſua diſpoſitione patiatur mutationem, quæ ipſum poſſet reddere corporibus quibusdam, uno magis tempore quam alio, peregrinum, niſi alium ætheris vocabulo tribuas connectasque ſenſum, pro aere habendo ætherem, vel pro athmoſphæra potius ipſius, cujus inſigniores mutationes, miræque varietates, habitus ac miaſmata ingentem utique vim exercent in corpus humanum, nemine contradicente, de cujus etiam infectione in peſte ipſa plurimum diſputatur, aliis eam ſupponentibus omninò, aliis verò habentibus pro figmento, ac contagium non niſi ex putridis ægrotantium corporum halitibus ab aliis corporibus ? aere mediante, ſuſceptum agnoſcentibus, quod tamen & aliis corpus ingredi vehiculis illique communicari poteſt.

Hoc quicquid eſt ſanguinem turbans in continuis febribus, gradus habet innumeros, eſt enim aliquando leviuſculum, quod ſuperficiarie quaſi turbet ſanguinis maſſam, uti in ephemera febri videmus contingere, vel fortius paulo, ac ſubjugandum difficulter in benignioribus continuis, penetrantius adhuc magisque quaſi concentratum in malignioribus, centralem quaſi inferens ſanguinis turbationem, imò peſſimum in peſtilentialibus, ad ipſam mox humorum tendens magna celeritate, ni inhibeatur potenter, necroſin: Unde magis vel minus malignum dicitur, prout iſtam vim ſuam turbativam in latice vitali exerit vel mitius vel ferocius; unde tot variæ febres, ephemeræ, ſynochæ, & continuæ benigniores non malignæ, ipſæ variis gradibus non confundendis, ſummo in peſte obvio, magna iterum graduum phœnomenorumque varietate, adeo, ut vel catarrhales febres, cum epidemicæ fiunt, aſſumant caracterem mali

mo-

moris, ac malignæ revera exiſtant, quæ alias ſatis benignè, licet mo-leſto decurſu, curriculum ſuum abſolvunt.

Pro iſta ſcilicet graduum varietate varia oritur in ſanguinis maſſa turbatio, vel levior illa, ac ſuperficialis, nullo quaſi negotio, ipſaque naturæ opera iterum ſedanda, vel penitior, profundior, taliſque, quæ vincula principiorum, vitalem hunc laticem efformantium, valde diſſolvat, orgaſmum ſub his turbis ingentem cieat, ſpiritus in ataxias ſimul agat ac fervorem, vario ſalis ſulphuriſque prædominio, nataque hinc ad putredinem tendentia majore ac violentiore, lympha meliore diſſipata, incocta, ut loquuntur, ac deficiente paulatim; unde per ſanguinis talis acris, fervidi, ſtaſes, petechiæ, imò & in peſte, ob viſciditatem hærente in tubulis glandularum glutinoſo ſanguine, bubones, aut eò acrius ferociente, anthraces ac carbunculi ſub ſtagnationibus iſtis oriuntur, vel ſuppuratione felici, ejecto ad peripheriam veneno, terminando feliciter malo, vel regreſſu in ſanguinem funeſto, vitalia extinguendo ſtamina, vel in ipſa parte necroſin ſphacelumque magis minusve coercendum ſuſcitando; quo reſpectu omnia exanthemata vel ad ſalutem vel ad mortem tendere pro vario naturæ robore palam eſt. In omnibus autem iſtis morbis, eorumque graſſatione epidemica θεῖον aliquod omnino agnoſcendum, multaque nobis occulta ſunt, multumque in aere abſconditum eſt & noxii & ſalutaris pro caſuum diverſitate, etſi & illæ aeris diſpoſitiones variæ, ſint hactenus referendæ inter occultas illas athmoſphæræ diſpoſitiones, quas jam ſolicitè cœpit inquirere induſtrius Boyleus.

Spectat etiam huc diviſio illa continuarum febrium in magis minusve *Acutas*; *Acutiſſimas*, quas & *primi generis* acutas nominant, quarta judicari die ajunt, celeri noxa vitæ inſidias ſtruentes, ubi tamen notandum, ipſum quoque morbi reſpiciendum eſſe morem, nec ſolam decurſus ac termini brevitatem hanc claſſem indicare ac morbi acuti ſpeciem, cum etiam alias Ephemeræ, Synochæ ac benigniores febres continuæ brevi ſpatio terminatæ ac ceſſantes acutiſſimæ forent dicendæ, adeoque cum cita judicatione malignitas quoque & vis morbi unà reſpicienda eſt. Acutæ autem *ſecundi generis* febres ſeptimo ajunt die judicari, per ſudores, per hæmorrhagias; quarto autem ac decimo die *tertii generis* acutas terminari dicunt febres, æſtimandaſque eſſe ex diebus præcedentibus, quarto, nono ac undecimo; Uti verò recte monent, hunc etiam peſtem ſervare morem, cum & illa plurimos veneni ac proin & periculi ac celeritatis in decurſu ſui ſtadii agnoſcat

 gradus,

gradus, ita id tamen circa omnia ista, quæ de *acutis*, *acutioribus* atque *acutissimis* dicuntur febribus, eorumque statis terminationibus, judicationibus & crisibus tenendum, plus sæpe his in theoria adscribi, quam observetur in praxi, ad minimum difficile fuerit in principio maligni morbi prædicere, ad quam ille pertineat classem, cum eorum plerique miras subeant ipso sub decursu atque inopinatas sæpe variationes, anomalias ac vicissitudines planè particulares ac specialissimas, pro individuorum ratione aliter se aliterque habentes; *subdolæ* enim sunt hæ febres, ac dum blandiuntur, mordent, tantum abest, ut semper exterius, quales sint lateantque, se prodant in principio, poterit tamen Medicus ad ista attendere, cum revera moliatur natura coctionem humorum, mixtionis turbatæ restitutionem, sordiumque eliminationem criticam, etsi non istis præcise diebus horisve ac spatiis quasi præscriptis; sæpe vero obtinet veriverbium antiquum: *pulsus bonus*, *urina bona*, *æger moritur*, adeò morbis istiusmodi fidendum non est.

Terminandi modus, siquidem ad salutem tendat jam declinando morbus, ardore æstuque sensim remittente, varius est, dum nunc hæc nunc illa symptomata graviora sensim sensimque remittunt, satis quandoque lente crescentibus rursum viribus, ac mora plerumque indigentibus ad sui restaurationem longiore, appetitu reduce per gradus, ac pluribus indies eluctantis naturæ, sanitatisque redeuntis indiciis sese exserentibus; sin verò succumbat sub turbarum onere natura, vires sensim magis fatiscunt, ratio nunc recte se habet, nunc cedit deliriis, nunc & nova subinde emicat lucula, imò redit usu pleniore, variis tamen stricturis spasmodicis sese exerentibus, imò & subinde in convulsivos, eosque etiam universales, erumpentibus motus, accedente extremorum frigore, facie hippocratica, aliisque mortis prodromis &c.

Oriuntur verò hæ febres ex diversissimis causis mediatis, pro indole sua admodum diversa, sæpe aeris vicissitudines, injuriæque, atque incongruæ corpori mutationes, eas cudunt, frequentissime contagio propagantur vario, vel mediate magis vel immediate, ubi recurrit tacta superius quæstio, de aere infecto vel non infecto, tempore cumprimis pestilentiali, imó & epidemice grassantibus malignis ac castrensibus febribus malignis, circa omnium enim istarum contagia mira prorsus ac singularia legimus passim in libris medicis: externæ quoque occasiones variæ, nimius motus corporis animique, abusus purgantium, terror conceptus ab ægrorum aspectu ac præsentia, liquorum

quorum ſpirituoſorum ac generoſiorum abuſus, ac pravi cibi, frequentiſſime occaſionem ſubminiſtrant excitandæ internæ latenti in corpore cauſæ, cruditati, cacochymiæ, aliisque ataxiis; unde & aliis frequenter accedunt morbis, iisque junguntur ſymptomaticè, cujus angina, pleuritis, catarrhales febres, dyſenteriæ, inflammationes variæ internæ, præbere exemplum queant, ipſæ quoque puerperæ, quæ lochiis ſuppreſſis in febres graves puerperales haud rarò incidunt.

Circa remedia magna obtinet varietas, tum ſententiarum tum ipſorum medicamentorum; Quidam commendant venæſectionem, alii eam vetant; nec eadem ratio eſt omnium malignarum febrium, pleræque eam minus ferunt commodè, cum maximè raro in primo mox principio compelletur Medicus; Unde & in valde malignis, maxime in peſte communiter, experientia jubente, diſſuadetur ejus adminiſtratio; Emetica in principio commendant plures, ſed nondum ſatis determinatum eſt, quid ſit principium, & quouſque illud ſe extendat, cum ſub primis minimisque moleſtiis Medicus non vocetur, neque ſemper in primis viis eſt vitium, aut cruditates, aut mole earum gravatus ventriculus, nec eadem omnium ad movendum facilitas, quibusdam nimium inde tortis dejectisque; Bezoardica autem omnes commendant, ſi quosdam exceperis, qui eò rectius ſapere ſe putant, quod videant, omne id, quod de malignitate harum febrium dicitur, cenſeantque, id quod malignitatis nomine veniat, à bezoardicis demum in corpore efformari cudique: Uti vero abuſum nemo approbaverit calidiorum ac volatilium, ita temperatiora laudatiſſima manent merito ac commendata omnibus, quæ inter eminet pulv. pannonicus ruber, bezoardici atque alexipharmaci, alii plures antepileptici quoque, caute quoque exhibitæ tincturæ bezoardicæ, mixtura ſimplex, & ipſe quoque incertis caſibus, refracta doſi, ſpiritus theriacalis camphoratus; Liquor Corn. Cerv. ſuccinatus, cum nervos ſymptomata gravius occupant; Fracaſtorii diaſcordium, Cornua calcinata, alia abſorbentia terrea, acidula, nitroſa maxime, confortantia, cordialia &c. merito commendantur; Veſicatoria præcipue merentur laudem, ob frequentes, quas ferunt, ſuppetias.

Variolæ & *Morbilli*, febrium quoque exanthematicarum ſpecies frequentiſſime obviæ, plerumque à Scriptoribus Medicis conjunguntur, etſi inter ſe differentiam habeant ſatis notabilem; Agnoſcunt tamen, habere hos morbos quædam communia, inter ſe & cum aliis febribus continuis, frigus ſcilicet in principio ac horrorem caloremque dein ſubſequentem, variisque increſcentem gradibus, ita tamen, ut in morbillis

billis leviora omnia ſint atque breviora, graviora verò ac diuturniora in variolis, quæ tamen non promiſcue habere poterunt locum, cum dentur revera variolæ, ſub quarum decurſu omnia ſint multo breviora ac leviora, quam ſub morbillorum certo praviorisque indolis ſtadio, dantur enim frequenter benignæ admodum variolæ atque ex adverſo peſſimi moris morbilli, modis omnibus metuendi, vitæque minantes.

Allegatur & hic in recenſione cauſarum fermentum, idque ſpecificum & ſui generis, vel illatum aliunde in corpus, vel in eo collectum genitumque, quod quidem ſit in variolis craſſius ac ſeroſius, tenuius verò volatiliusque in morbillis; quanquam ſane ad morbum utrumque æquabiliter tota maſſa ſanguinea concurrat, patiaturque ſuas turbas; nec præciſe erit illud turbans fermentum ſulphureo-ſalinum, poteſt enim impurus ac heterogeneus ichor ac cruditas varii generis colligi in ſanguine, etſi ſui juris plenè non ſint ſalinæ ac ſulphureæ partes ejus; Dicitur alias ex ſanguinis materni ac menſtrui reliquiis iſtos pullulare morbos, ſed ſine magna veri ſpecie aut opinionis fundamento, cum omnes habeant in ſe materni ſanguinis reliquias, non vero omnes variolis morbillisque corripiantur; Alii ex eſu carnium, collectisque hinc impuris ac fermentativis molleculis, ſui ſeparationem, ſerius ocyusve urgentibus deducunt illam, in liberos propagatam diſpoſitionem, ſed probabilitate non majori, cum & iis infantibus eadem fere certitudine atque inevitabilitate obtingant variolæ, quarum matres carnibus nonniſi rariſſime pauciſſimeque uſæ ſunt: Et quid quæſo facilius eſt, quam colligi in ipſo hominis corpuſculo impuritates iſtiusmodi atque heterogeneitates, quæ data occaſione turbare ſanguinem, indeque critico quaſi naturæ niſu ad peripheriam corporis propelli poſſint, variantibus circumſtantiis pro ſucci pravitate majori vel minori & cacochymiæ gravitate, elevatis in puſtulas, ſucci degeneris ad cutem determinatis copiis in ſtatu varioloſo, in maculas ſaltim ad cuticulam terminandas in morbillis, enata ſub turbis illis expultricibus continua febri; Eaque omnia eò facilius evenient, ſi cauſam in corpore latentem moveat excitetque contagium externum, aliunde illabens ſanguinique illatum, eumque turbans, conferente & quandoque partes ſuas aeris diſpoſitione ac mutatione varia ac celeri, cohibita tranſpiratione, imò & terrore, ipſa ætatis ratione, labe epidemica &c.

Phœ-

Phœnomena, quæ in morbi exordio & ſub primis in ſanguine turbis occurrunt eadem ſe ratione non habent in omnibus, quidam enim ventris primum dolore, alii cephalalgia, dorſique & artuum doloribus alii, quidam & ſicca tuſſi primum laborant, aliis vomitus ſcenam morbi aperit, prurientibus naribus, rubentibus oculis, urgente ſiti, vigiliis quoque diu protractis, difficultate reſpirandi, anxietate inſigni, ac preſſione quadam circa præcordia, etiam cardialgicis doloribus obortis, accedunt ſubinde, quæ aliis tardius oboriuntur, deliria, ſæpe etiam ante eruptionem frequentiſſimi terrores, & concuſſiones corpuſculi, ſtridores dentium violenti, varii convulſivi motus, ipſique etiam univerſalis ac vera epilepſia ſupervenit, minus tum metuenda ſub primis illis naturæ expellentis conatibus, quam in decurſu morbi vel verſus illius finem, ubi nunquam non eſſe debent ſuſpectiſſima; Alvus adſtricta eſt plerumque, etiam toto ſæpe morbi decurſu, nec facile eam irritare convenit, metu diarrhœæ, ſæpe funeſtæ, quanquam & hæc regula habeat ſuas exceptiones.

Terminum eruptionis exanthematum eundem quidem plerique Scriptores Medici aſſignant, ſed & in eo inſignis obtinet varietas & latitudo, cum ſecunda mox aliquando die, alias tertia, quandoque ne quarta quidem, quam potiſſimum aſſignant, vel quinta, prodeant eadem ratione, paucis quandoque ſeptimo oſtendentibus in pectore, vel alibi, ac facie quoque, lento cæteris gradu ſubſequentibus ac prodeuntibus, aliquando autem agmine quaſi facto, ſubitò ac ſatis celeriter ac conjunctim prodeunt per omnem corporis ambitum exanthemata; Neque ſemper, quod annotatum leges, remittit prius ebullitio febrilis, antequam eruptio contingat, ſub ipſius conatibus ſucceſſivis ſatis exardeſcens plerumque, nec dici abſolutè poteſt morbillos citius & quaſi inadvertenter prodire, utut enim ſæpe morbilli prompte prodeant, tingantque ſubito corporis ſuperficiem, fatendum tamen, idem quoque variolas haud infrequenter præſtare; promtèque ac ſubitò comparere, morbillosque ipſos quoque adeò non ſemper ſubitò ac inadvertenter prodire, ut potius obſervaverimus non quarto tantum, ſed vel ſexto ſeptimoque die adhuc tardantes, ac poſtea dein poſt diuturnam ſymptomatum præviorum torturam prodiiſſe; nulla igitur in his dari poteſt certior regula, cum in-

dividuali quaſi ægrotantium diverſitate ſoleant in aliis citius in aliis tardius evenire. Modus quo morbilli efflorescunt in cute, eſt, quod compareant nunc plures in principio nunc pauciores maculæ rubentes, majores, minoresve, latiuſculæ, nunc plana omninò ac æquabili manente cute, nunc verò tantillum quaſi prominere viſis maculis ac tumeſcentibus, magis tamen minusve, imò in quibusdam caſibus earum nonnullis in minimas quasdam etiam puſtulas tranſeuntibus, uti ex talibus in oculi pupilla obortis, apertisque dein cœcitatem obſervavimus in infante teneriore; prodeunt illæ vel rarius ſparſæ vel confertim, vel ita quoque, ut totam obtegere cutem videantur quaſi, corpore ſimul ſubtumido quodammodo exiſtente in ſuperficie ſua; duratio non eſt eadem, dicuntur diſparere intra unum alterumve diem, ſed & hic obtinet latitudo inſignis, cum ad plures non in frequenter ſubſiſtant, maneantque imò & diutius veſtigia ſua cuti relinquant impreſſa.

Variolæ mox, dum erumpunt, tactui peritiori ſeſe manifeſtant majori quadam inæqualitate & duritie digito tangenti occurrente, quæ parvula tubercula ac puſtuloſa capiunt incrementum nunc citius nunc tardius, nunc majores factæ, nunc minores, ſenſimque contentus liquor ſuppurationem peculiarem ſubit, nunc fluidior, nunc ſpiſſior, nunc fere gelatinoſa exiſtens conſiſtentia, prodeunt vero, increſcunt, ut jam monitum, non iisdem ac ſtatis temporibus, nec omnes ſemper æquabiliter, aliæ enim fere adoleſcunt, dum aliæ vix incipiunt erumpere, aliæ cum promtitudine & quaſi alacritate prodeunt, creſcunt ac ſuppurantur, aliis vix extorquendis. tarde prorumpentibus ac creſcentibus: nec eadem declinationis ac decrementorum ratio eſt, dicuntur hæc fieri die fere undecima, poſtquam declinent, ſiccentur, intraque decimum quartum, quintum vel ſextum decidant diem, ſed nec iſta ſunt perpetua, multis longe diutius protractis, nec eandem puſtulis exſiccandi rationem obſervantibus, quædam enim ſuum effundunt laticem, mox ſiccandæ in cruſtulas, aliæ in has abeunt ſine ruptura vel egeſtione puris, hoc cum puſtula ſicceſcente, ac facile decidente illa, vidimus & quæ in duriores quaſi verruciformes abeuntes cruſtulas diu ſatis hæſerunt cute; ſæpe cutem admodum fœdant cicatriculis ſuis, maculæ verò

rò diutiſſime conſpiciuntur in cute, aere cumprimis liberiore ac frigidiore eas tangente: Cum retrocedunt exanthemata graviſſima ſeſe offerunt exſeruntque ſymptomata, retrocedunt & morbilli non ſine periculo, majus tamen illud eſt in variolis retrocedentibus, ſive jam illa retroceſſio fiat à cauſa externa, auræ frigidæ &c. vel interna, ſive in principio eruptionis, ſive incrementi tempore, ſive & in ἀκμῇ, ſemper cum diſcrimine tetrisque conjuncta eſt ſymptomatibus, reſpiratione admodum difficili, anheloſa, anxietate, pallore, livore, terroribus, ſoporoſis affectibus, ſpaſmis variis, imò motibus convulſivis, diarrhæis quoque ac frigore extremorum, interna jam inflammatione aucta & in grangrænam tranſeunte, ſubinde tamen cohiberi plenior regreſſus, ſiſtique poteſt triſtis illa ſymptomatum ſeſe conſequentium caterva.

Sunt verò quà puſtularum numerum diverſiſſimæ variolæ, quæ numerari ſubinde in quibusdam poſſint, in aliis largius ſparſæ, in aliis autem omnem quaſi corporis ſuperficiem tegentes, ac vel ſervantes ſuos limites diſtinctos, debita elevatione, rubente circulo cincta quavis puſtula, vel confluunt magis, cohærent, collapſæ apparent ac depreſſæ cum foveolis quaſi, quæ equidem ſigna haud ſolent laudari.

Sunt quos variolæ bis, imò ter etiam invadant diſtinctis ætatis intervallis, plerique eas pati coguntur, ſunt tamen, qui per omnem vitam manent liberi; pueris tamen facilius ex morbo iſto eluctantibus quam adultis, quorum variolæ plus habent plerumque malignitatis, etſi & benignæ inter adultos æque ac pueros ſæpe reperiantur: Idem de *Morbillis* dicendum, plurimos bis etiam, terrore adorientibus, etiam adultos, imò ſenes, cum epidemicum certis temporibus ac univerſale ſit malum, minore tamen cum periculo: Inter variolas aliquando puſtulæ etiam varii generis purpuraceæ imò & maculæ apparent, forſan non ſemper appellandæ petechiæ, ſæpe tamen illæ ſunt veræ & ſatis malignæ petechiæ, non raro funeſtæ, nunc rubentes, nunc pejori omine fuſcæ, cœruſcentes, lividiuſculæ imò nigræ, indicio necroſeos jam valde propinquæ, imò in aliis caſibus jam perfectæ; ipſæ etiam quaodoque puſtulæ atrum, non bono omine, oſtentant colorem, uti pallidæ ſebaceæ pariter minantur graviora,

quandoque tamen interferuntur cœrulescentes ac ad nigredinem inclinantes, sine prava adeò consequentia, cum gravibus tamen plerumque symptomatibus, medicique summam desiderantibus attentionem: Malum utrumque est magis minusve Epidemicum ac universale diversis temporibus; autumno non solum vel præcipue, sed & vere & hyeme, imò per omnia anni tempora grassari solitum. Neque vero attinet multa dicere de variolis, quas vocant, *aquosas*, citius transeuntes; istæ quidem sæpe ante eruptionem gravia etiam symptomata producunt, neque in ipso suo decursu sunt negligendæ, cum & subinde in nonnullis subjectis malignitatis nonnihil habeant, iisdem remediis cedentes.

Remedia, ac medendi methodus non parum variat juxta principia diversa Medicorum; præprimis ratione regiminis contradictoria legas, aliis frigidum suadentibus regimen, aliis calidum, medium verò tenuêre beati, ac prudentiores, non juvat suffocare tales ægrotantes hypocausti fervore intolerabili, ac mole stragulorum ac plumarum eos montibus obruere, sed nec licet admittere aerem liberiorem, illive exhibere tales ægros; uti imprudenter quidam suadent, omnemque lecti ac cubiculi calorem, etiam æquabilem & temperatum non negligunt solum, sed & prohibent; Venæsectio in pueris nostratibus non est inter remedia recepta, nec forsan necessaria; in adultis variolæ inter nos haud adeo sunt frequentes & plerumque in principio, ubi adhuc tutius vena secaretur, de variolis imminentibus nulla certitudo est: Conducunt autem in principio bezoardica, sed & contra hæc clamant nonnulli, dissuadentque eorum usum, sed dubio procul mitius sentient de iis, qui moderata, non nimis calida, alexipharmaca adhibent, quæ omnino naturæ succurrunt in expulsione exanthematum, quod innumeris experimentis tam est evidens, ut hoc negare, sit contra solem loqui; pertinet huc pulv. pannon. ruber, aliique bezoardici, lap. bezoar uterque imò & ille de Goa factitius, ipsumque infusum Pedræ del porco, ubi iste suppetit lapis, adeo laudatus *Helvetio*, aliisque.

Salia volatilia rebus recte succedentibus vix necessaria sunt; nisi convulsivæ compareant dispositiones ac nisus, sub quibus liquor Corn. Cerv. succin. egregius est; myrrhata, camphorata,

theriaca,

theriaca, diascordium, vel parcius danda eruptionis tempore, vel & omittenda; præstant plerumque illi pulveres dicti, cum Corn. Cerv. phil. Calc. Corn. Alc. phil. calc. absorbentia, terrea, præcipitantia alia, ac confortantia, quæ sola post eruptionem ferè sufficiunt, cum diluentibus, temperantibus blandis, gelatinosis, quo & emulsiones ex seminibus frigidis faciunt, omniaque fervorem febrilem temperantia; unde & prudens, quod mireris, corticum cascarillæ imò & peruviani applicatio sæpæ præstat in gravioribus etiam casibus egregia, sed non dandi promiscue; Cæterum ipsa etiam symptomatum accedentium vehementiorum variatio requirit remediorum varias sæpe mutationes, additionesque, maxime si minetur diarrhœa sæpe in morbi statu funesta, sive cruenta sit, sive non, unde adeo clysteres alii metuunt, cum facile inde concitetur alvi fluxus, ac malint diuturnam alvi constipationem ferre, quæ salutariter sæpe ægris solvitur sine hoc adminiculo, & sine noxa tantæ moræ scybalorum; Alii interim seriò commendant enemata tanquam maxime proficua & à partibus nobilioribus avocantia causam, quos noluimus sequi; ex quo quidem facile patet, quid judicemus de adhibendis purgantibus, quæ sanè tuta non sunt, neque etiam sub declinationem nimis cito danda; Vesicatoria sæpe magnum afferunt commodum, si spasmorum metus urgeat, imò jam ipsi ingruant.

Febres lentæ ac *tabificæ* frequentes etiam sunt, & inter pejores numerandæ febres, diximus jam de illis occasione Phthiseos inter affectus pectoris, nam ad illos quoque pertinent hecticæ febres, quæ vel ulcus pulmonum, vel alterius etiam visceris supponunt, atque ab illo oriuntur; sæpius obortæ ab aliis febribus, diuturnis vel gravioribus quoque, quanquam & lentæ tabificæ, quæ sine ulcere sunt, ab iis potissimum evenire possint, vel etiam à scorbuto, à mensium obstructionibus, quo etiam natæ in mesenterio obstructiones, lacteis vasculis chylo transitum non concedentibus pertinent, quamvis forsan illa febris lentæ causa inter minus frequenter obvias censenda sit; uti verò mirum non est, ulcere in pulmone vel alio viscere præsente, febriles in sanguine turbas inde simul necessario oriri, ita aliæ lentæ febres, ab ulceris labe immunes, alium ortum agnoscunt, uti jam diximus, supponunt scilicet statum sanguinis cacochymicum, blandis, nutritiis, gelatino-

ſis moleculis deſtitutum, acribus verò ac impuris viſcidisque refertum, neque enim credimus cum quibusdam, volatilem eſſe illam acrimoniam, etſi creſcente ſub febrili maſſæ ſanguineæ turbatione, calore ac æſtu, ſalia quoque acria ac ſulphureæ partes exaltari poſſint, ſanguinis ver o orgaſmus ſub febrili illo æſtu ortus, non ſtatim ſupponit volatilis acrimoniæ præſentiam, cum potiſſimum viſcidior ſanguinis diſpoſitio cum febrili ac præternaturali conſiſtere omnino poſſit ac ſoleat; Fervor verò ille calorque ſanguinis intenſior, illaque acrimonia tandem prædominans, efficiunt, ut non ſolum nutritio corporis fieri porrò nulla poſſit, cum deficiat nutrimenti materia, blandior ac gelatinoſa lympha, ſed etiam, id, quod huc γλυχεῖον ac gelatinoſum in partium tubulis paſſim hæret, eluitur, imò abraditur quaſi à fervido ſanguine, colliquatis omnibus emunctisque melioribus ſuccis, quorum in locum nihil boni reponitur, ſed potius depaſcens acre ſerum, viſcidaque phlegmata, aptiora ad cudendos tumores pedum aliarumque partium inflationes cacochymicas, quam ad appoſitionem pro nutritione corporis, ad quam requirerentur moleculæ excocti probè chyli. natæque inde mucilaginoſæ ac limpidæ lymphæ, non verò tenaces acresque & lixiviali fere ſale tincti humores, exſiccantes potius corpus quam reficientes.

Evenire quoque haud infrequenter in corpore humano ſolent *Ariduræ* ſeu *Tabes particulares*, iſtæ vero licet, in ſanguinis quoque vitiata maſſa remotiores ſuas habere queant occaſionales cauſas, potiſſimum tamen à ſpecialibus partium certarum vitiis, cum ſcilicet vigor partis decreſcit, & imminuitur, vel obſtructo, qui ad partem tendit, quodammodo nervo, vel fibris nerveis ac muſcularibus in parte tono ſuo debito haud gaudentibus, aut variis partis iſtius ejusque ductuum ac canalium meatibus obſtructis; nec dicas hac ariduram non inferre, nec partis decrementa producere, aut nutritiarum partium appoſitionem impedire, omninò enim atonia fibrarum plurimum ad nutritionis opus impediendum confert; quippe ſine quarum vigore exacta ſanguinis per partem circulatio ac percolatio fieri non poteſt, ſub qua nutritiæ partes apponuntur, variæque ex iſta atonia oriuntur meatuum obſtructiones, quæ moleculis nutritiis aditum non concedunt in fibrillarum interſtitia, ubi adhærere, ſicque augere partem deberent, ordinario rerum iſtarum curſu.

Ubi

Ubi vero univerſale eſt malum, totumque depaſcit corpus, ea fere phœnomenorum ſe offert ſeries, occultus ſerpit toto corpore calor, non ſemper apertis erumpens flammis, ſed ſubdolus, à cibo tamen ſumto apertior, vagisque, etiam genas pingens, phlogoſibus, ac ſubito perfundens, in manuum volis præcipue clarius percipiendus, adeſt perpetua pulſus frequentia, appetitus in nonnullis ſuperſtes eſt, in aliis dejectus, imminuuntur jam notabiliter carnes, dijiciuntur vires, calor intenditur, accedunt & horripilationes veſpertinæ, calorisque erumpentis in paroxyſmos quaſi quosdam viciſſitudines notabiliores, nocturni etiam ſudores poſt mediam noctem accedunt, decreſcente magis magisque corporis habitu ac in ſceletiformem tandem eo deveniente ſenſim ſenſimque ſtatum, cute vix oſſibus hærente, ac ſuperextenſa, pedibus quandoque etiam intumeſcentibus, imò &, imminente vitæ termino, diarrhœa haud raro accedente; dolorem cætera regulariter haud patiuntur tales ægri, tuſſis quosdam vexat, etiam ſine ulcere præſente, aliquando & ſub decurſu demum morbi talis poteſt oriri tuſſis, & occaſionem præbere internæ inflammationi, ac putredini, ſeu ulceri &c.

Uti vero ſupra dictum jam fuit, oriuntur tales febres lentæ ac tabificæ à variis aliis affectibus præternaturalibus, febribus diuturnis & gravibus, dyſenteria, diarrhœa violenta ac diuturna, chloroſi, cachexia vel etiam ſaltim cacochymia, gonorrhœa inveterata, nimia venere, exceſſibus in vino, vini ſpiritu, à paralyſi, violentiis externis, vulneribus, fracturis, luxationibus in aridura particulari, univerſalis vero etiam ab externis ulceribus &c.

Inter remedia referuntur, quæcunque meliorem ſanguini reſtituunt diſpoſitionem, acrimoniam ejus corrigunt, demulcent, diluunt, temperant, partes gelatinoſas nutrientes reſtaurant, viſcidas incidunt, attenuant, educunt; analeptica, gelatinoſa abſorbentia, emulſiones, lactis variæ curæ neceſſaria cautelâ adhibitæ, vulneraria decocta & infuſa mitiora, juſcula quoque alterata recentibus herbis: Sunt &, qui commendant balnea, ſed calida illa ſi fuerint, calorem corpori inferent majorem, ſi frigida nocebunt, ſi tepida nihil facile ptofuerint, neque enim externa humiditas ſiccitati internæ atque acrimoniæ notabiliter medebitur; Ab unguentis quoque alii plurimum opis expectant, verum, quid iſta cuti illita pin-

guia

guia præſidia afferent & contra internum pinguedinis & nutritii γλυχερ defectum proficient? fit ſæpe aliquid, ut acquieſcat æger in varietate & multitudine medicamentorum.

Arthritis in plerisque etiam ſpeciebus ſuis habet adjunctum febrile aliquid, ſive univerſalis illa ſit, omnesque articulos vel ſimul vel ſucceſſive magis occupet, ſive particularius hunc illumve articulum afficiat, varia ratione ac gradu differente, ſive ipſum affectûs genium, ſive modum afficiendi locumque ſpectes, quem occupat; ille quidem in genere eſt articulus, ſive conjunctio illa mobilium præcipue membrorum inter ſe firmata nexu ligamentorum, tendinumque ac membranarum ſummè nervearum ac ſenſilium, unde exquiſiti adeò in his partibus dolores, ac tam gravia, quæ iſtos comitantur, ſymptomata.

In omnibus ſcilicet, dolorifici admodum morbi, ſpeciebus, ad ſtatum ſanguinis reſpiciendum eſt, hic enim eſt fons blandæ illius, quæ naturali in ſtatu humectat articulos, lymphæ, quæque in ſtatu præternaturali adeò acriter illos percellere atque irritare valet; etſi ſanguinis aggeſtiones, ſtaſesque circa articulationes præcipuam cauſæ partem ſibi vindicent in progreſſu.

Sanguis igitur alias blandus, gelatinoſus, tenuis, ac probè fluxilis, perque omnes vaſculorum anguſtias prompte mobilis ac tranſiens, acrior in his morbis, ſpiſſiuſculus, talisque evadit, qui ſtangnatione ſua ac mora acerbe affligat, tendatque fibrillas; quod alii ad lympham reſpicientes ita efferunt, ut eam prius blandam, tenuem, dulcem, nunc verô in ſtatu arthritico tartareo tinctam fermento dicant, ſeu acido ſale, magis aliquando fixo, aliâs etiam nimis volatili, quæ quidem ſua ſpicula robore naturæ ad articulos detruſa ibi exerat, imprimatque, cum tanto dolore nerveis fibrillis; & agnoſcimus omnino in tali ſanguine ac lympha frequentem acrimoniam, etſi eam non præciſe acidam, ſed ſui generis ac fixiorem; etſi enim ſanguis noſter & in naturali & in præternaturali ſtatu gerat in ſinu ſuo ſalia quoque volatilia, illa tamen evoluta, ſuique juris non ſunt, ſed ligata & ab aliis detenta fixioribus, unde, qui in his morbis conſpicitur æſtus calorque & ardor, à ſale volatili præciſe non erit, ab ipſa ſanguinis aggeſtione ejusque ſub hac aucto motu partium inteſtino potius derivandus; neque id tamen impedit, quo minus dicemus, iſtas harum heterogeneitatum ex ſanguine ad articulos eje-

ctiones

ctiones critici quid, & naturæ amolientis ſibi moleſtum niſus eſſe laudabiles, aut ad minimum eò à corporis mechaniſmo directas: Talis enim ſanguis, tali lympha conſtans, ab heterogeneis partibus ſub variis ſuis percolationibus adeò non liberatur, ut potius novas pluresque indies ex primis recipiat viis, ab erroribus diætæ frequentibus, ad has adeo ſenſibiles ob membranas, ipſum maxime perioſtium tendinesque, partes, aggeritur copioſius, unde oritur ſæviens illa ſpina infixa nonnullis dicta, adeò latè ſuas diffundens irritationes. Facta enim ſtaſi, ſanguis fibrillarum diſtendit interſtitia, vellicat eas, & quaſi lacerat ſub dolorifica extenſione, unde dolentes, ſpaſmodicæque ſtricturæ, ſpiritibus nervisque laceſſitis, oriuntur, accedentibus cumprimis ſpiculis acris ſalino terreſtris materiæ impuræ ſanguinis ſero admixtæ, donec ſub niſibus iſtis dolorificis moram trahentes liquores per tranſpirationem partim diſſipentur, partim ſub circulationis redeuntes legem ex anguſtiis iſtis, quas adeò pungunt lancinantque, eluctentur; ita tamen, ut variet & morbus & dolor, & duratio, pro cauſæ varietate, prout cauſa fluidior non adeò infixa, turgeſcens, ſedata orgaſmo, plenius diſcutitur, revehiturque, vel tartareis moleculis ac fixioribus, fibris quaſi & earum interſtitiis infixis, incluſis, intruſisque hæſerit firmius ac pertinacius in parte, in ipſos aliquando nodos excreſcens, calce turgidos.

Quæ univerſalior eſt morbi hujus ſpecies *Vagæ arthritidis* nomine venit (quam & alii vocant Arthritidem ſcorbuticam, etſi ſcorbutica ſemper non ſit) hæc enim uni ac definito loco non affigitur, etſi non ſimul in omnibus ſe exſerat, ſed ſit quaſi ambulatorius dolor, ex uno articulo citius tardiusve translatus ad alium, plerumque cum febri eaque ſatis interdum intenſa, incipiens cum horrore & frigore febrili, doloribusque totius corporis, maximè tamen articulorum, nataque inde impotentia ad motum, ſæviens, ut v. g. una primo manus, dein altera, cubitî dehinc flexuræ, genu, alterius pedis imam partem, & ſic porro pervagetur malum, mora non eadem in una parte facta, quandoque hanc deſerens antequam alteram invadat, aliâs ſimul uno in loco adhuc ſatis ſenſibilis, alibi jam novas accendens dolorum ardorisque faces, cum intumeſcentia articulorum haud levi ac rubore ſæpe inſigni; nulli vel ætati, vel ſexui parcit, aliquando una alterave ſeptimana terminanda, aliquando autem ad plures, imò alterum, tertiumque menſem va-

riis ſe extendens periodis; vel integre rurſum diſſipanda, vel relinquens varios contracturæ vel etiam paralyſeos poſt ſe gradus. Cum fructu illi ſæpe obviam ibimus eadem, qua febribus ſolemus, methodo, jungendo nervina, ac cephalica, roborantia, &c. etiam ſine venæſectione, cedente feliciter malo: Inter illos verò dolores arthriticos, qui unam occupant partem definitam, pertinaciſſimus ac præ aliis violentus eſt *Dolor Iſchiadicus* ſeorſim affligens, occupat femoris cum oſſibus innominatis articulationem ejusque viciniam, unde dubium ſæpe relinquit Medicum, an nephritidi magis hic tribuendum ſit an arthritidi, etſi ſenſim clarius ſe ſuis prodat indiciis; evadit enim ſæpe intenſiſſimus, ſatis articuli denotat locum, profundus quippe ac penetrans dolor, figens ægrum in lecto in ſtatum immobilem, ut ſæpe ne hilum quidem latum audeat ſe è ſitu ſuo, quem tenet, dimovere, adeò in hac morbi ακμη non obtinet, quod notant Scriptores, in hoc malo ſedentes minus commodè poſſe ſurgere, euntesque & decumbentes male habere, hæc enim vera ſunt de prodromis mali, ac de reliquiis ejus, diu ſatis nonnunquam perdurantibus pertinaciſſimè, ipſa verò morbi vi ſumma præſente, adeò non poſſunt incedere, ut immoti & quaſi affixi jaceant immutabili ſitu; Neque vero adſunt reliquæ nephritidis ſigna, quæ ſimul obſervantur, ſi dolor ſaltim inde ad Iſchia extendatur. Duratio vero non eadem eſt pro cauſæ ratione ac ſubjecti, imò & gradus aggeſtionis, & quaſi incuneationis, ſi termino hoc liceat uti, rebelle enim ſæpius ac pertinax malum eſt, ad minimum diuturnis moleſtum reliquiis.

Podagra, *Chiragra*, *Gonagra* &c. nomine arthritidis generali comprehenduntur, tanquam variæ ſpecies, certæ ſedi infixæ, ita tamen, ut hanc retineant in quibusdam, in aliis plerisque incertis motibus atque intervallis ab uno articulo ad alterum progrediatur, ac totum ſæpe, triſti circulo, perambulent corpus, vel ad minimum artus, vel exceptis quibusdam partibus & articulis, vel omnibus ſucceſſive tactis; Neque hæ ſpecies febrilibus in ſanguine turbis deſtituuntur, levi ſub initio intumeſcentia; & eryſipelaceo rubore ſe prodens, vel in uno quandoque pedis digito ſubſiſtens, aliâs talum, aliumve articulum occupans ſolum; donec jam pleniori poſſeſſione invadens occupansque tale corpus, ne in una quidem parte figit pedem, nec pedibus nec manibus parcens, ipſam etiam

in quibusdam invadens cervicem; Duratio eſt diverſiſſima, gradus quoque doloris mirè variant, periodi ſunt incertæ, quosdam plures intra annos, ſemel alios ſemel uno anno, bis alios, imo pluribus adoritur vicibus; verno maximè & autumnali tempore advertentibus practicis, etſi nulla anni pars excipiatur; Quosdam invadit juniores, quosdam conſiſtente ætate, quosdam ſenio propiores, paucos in ipſo demum ſenio provectiore; affligit aliquando per plures ſeptimanas, quosdam paucis etiam diebus abſolvit, relicto in aliis tumore diu ſuperſtite, in aliis facile diſcuſſo; ακμη doloris in quibusdam brevis paucarum horarum, in aliis dierum etiam plurium eſt, varii & hic ſe exſerunt effectus paretici, nodoſi, contracturæ ac incurvationes, debilitatesque membrorum; ſive particularia hæc ſint, ſive univerſalia, reſpectu totius corporis, toti inducta immobilitate. In nodis vero tophaceæ & quaſi cretaceæ concretiones, ſæpe inde ruptis integumentis eximendæ ac colligendæ, ſunt notabiles, licet non tam frequentes, reſpectu multitudinis eorum, qui patiuntur arthritidem; Cæterum ſymptomata graviſſima, ferè innumera, ſtipant ακμην horum membrorum ſævientium, hic vigiliæ uſque ad exceſſum intolerabilem, ſitis indelebilis, inquietudo ſumma, & anxietates inſuperabiles nonnunquam viſæ, terrores, pavores, hypochondriaco-Melancholici inſultus, macies, aridura partium; Inflammatio varios habet gradus, raro autem abit morbus in abſceſſum, niſi præpoſtere tractetur, & ſub nodis illis tophaceis exacerbatis; tumor ſenſim evaneſcit inæqualibus intervallis, citius nunc, nunc tardius.

Inter cauſas mediatas remotiores innumera referuntur, præcipuè hæreditaria diſpoſitio vim habet inſignem, exceſſus in vinis calidioribus aliisque liquoribus ſpirituoſis, pedum refrigerationes enormes, unde tonus fibrarum peſſundatur, nephritis, ſcorbutus, affectus hypochondriacus multum ad mala illa cudenda contribuunt & affinitatem cum arthritide habent inſignem.

Ordinario monent Authores rarò corripi eos his malis, qui tenuiore utantur victu, ac laboribus aſſiduis defunguntur, corpusque exercent jugiter, & qui liberiori tranſpiratione, frequentiori ſudore, largaque urinæ excretione gaudeant; ſed nec iſta perpetua ſunt, in iis maxime, queis grave hoc incubat ex hæreditatis parentumque vitio malum. Quamdiu autem conſueti podagræ

paro-

paroxyſmi erumpunt in ægris, teſtantur de reſiduo naturæ robo-re ac vigore, cum excitari amplius haud queant, minantur conatu iſti fruſtranei graviora; Unde etiam peſſimæ ſunt metaſtaſes poda-græ ad corporis interiora, triſtes cum podagra reciprocantes coli-cæ, ſpaſmodica aſthmata à retrocedente, retropulſa, retrograda vel expelli non valente, podagra, enata, unde & epileptici imò apople-ctici inſultus ultimatò metuendi ſunt, præter innumeras anomali-etiam proteiformes podagræ internæ, retrocedentis, vel ob natu-debilitatem, aut aberrationem confuſam, noxiamque non expulſ-ad articulos, cauſa jam nobilioribus impacta partibus, vel ſalti-internis ac ſenſibilioribus, magisque vitæ minantibus, quod innu-meris conſtat exemplis.

Remedia nemo numeraverit, omnia nervina, cephalica, con-fortantia, roborantia, tonum firmantia meritò ſe commendan-aperientia, reſolventia, temperantia, diluentia, diaphoretica, di-retica mitia, antiſcorbutica, antihypochondriaca, nitroſa, cinn-barina, antifebrilia conferunt variis doſibus gradibusque cum ge-latinoſis demulcentibus etiam pectoralibus, paregoricis, vulner-riis variè combinata; Anodyna, opiata cautè nec promiſcue -nonniſi minima doſi danda; Salivatio mercurialis à multis com-mendatur, abſtinendum forſan rectius ab ea, ſi venereæ nihil ſu-ſit labis: Venæſectio nec admitti generaliter, nec rejici potel-Calidior frigidiorve cauſa remediorum diverſitatem poſtulan-Externa cautè adhibenda, pinguia nocent, humida non conf-runt, ſpirituoſa facilius ferunt, plerumque præſtat externè ni-adhibere, vel ad ſummum ſacculos ſiccos ex floribus & herbis.

T A N T U M.

